CONCILIUM PROVINCIALE

MILWAUKIENSE

PRIMUM

Franciscan Fathers.
Superior, Douglas Co., Wis.
Oct. 8. 1888.



Acta et Decreta

Concilii

Provincialis Milwaukiensis

Primi.

A. D. MDCCCLXXXVI.



PRAESIDE

Illmo. ac Revmo. MICHAELE HEISS

Archiepiscopo Milwaukiensi.



MILWAUKIAE.

Hoffmann Fratres Typographi Summi Pontificis.

MDCCCLXXXVIII.

DECRETUM
PROMULGATIONIS CONCILII PROVINCIALIS MILWAUKIENSIS PRIMI.

MICHAEL HEISS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS

MILWAUKIENSIS

Remis Episcopis, Vicariis Apostolicis et Abbatibus nec non ceteris Synodalibus qui adfuerunt Concilio Provinciali Milwaukiensi Primo Salutem in Domino.

Acta et Decreta Concilii Provincialis Milwaukiensis Primi a quarta Dominica post Pascha usque ad quintam anni millesimi octingentisimi octagesimi sexti in Ecclesia Cathedrali Milwaukiensi celebrati, quae, uti par est, summa cum devotione et reverentia Romam transmiseramus, ut supremo Sedis Apostolicae judicio recognoscerentur, ab Eminentissimis Patribus S. Concilio Christiano Nomini Propagando praepositis accuratae et diligenti inquisitioni submissa, nonnullis modificationibus adjectis, die 4to Junii h. a. ad Nos remissa sunt ut rite promulgentur et ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter observentur. Quapropter ea auctoritate, qua pollemus uti Praeses memorati Concilii Provincialis Milwaukiensis Primi, ejusdem Concilii Decreta per hasce litteras promulgamus et pro rite promulgatis haberi volumus, declarantes insimul utilissimum fore Nobis videri, ut eadem Decreta, quamquam ab hac promulgatione vim suam habent et robur, in Synodis Dioecesanis denuo promulgentur sicque media idonea provideantur, quibus efficaciori eorundem executioni melius consulatur.

Datum Milwaukiae, ex aedibus Nostris die 6to mensis Junii, anno Salutis MDCCCLXXXVIII.

MICHAEL HEISS,
Archiepiscopus Milwaukiensis
Praeses Concilii Prov. Milw. Imi.

DECRETUM

Recognitionis Concilii Provincialis Milwaukiensis Primi.

Cum Episcopi Provinciae Ecclesiasticae Milwaukiensis legitime convocati sint, mense Aprilis anno 1886 praesidente Archiepiscopo Heiss tum ut iterum Decreta Concilii III. Plenarii Baltimorensis promulgarentur, tum ut peculiares dispositiones quae suae regionis conditionibus ac peculiaribus adjunctis accommodatae viderentur conderent Synodum primam provincialem Milwaukiensem celebrarunt. Porro cum Acta et Decreta praefatae Synodi S. Sedis judicio eo, quo par erat obsequio, delata fuerint, Emi Patres Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi in generalibus Comitiis die 9. Aprilis 1888 habitis, ea maturo subjecerunt examini, ac nonnullis adjectis modificationibus, reviserunt ac recognoverunt.

Hanc vero Sacrae Congregationis sententiam in Audientia die 26. Aprilis 1888, Ssmo D. N. Leoni XIII a Rdo. P. D. Dominico Jacobini Archiepiscopo Tyrensi ejusdem S. Congregationis Secretario relatam, Sanctitas Sua approbare dignata est, et super his praesens Decretum expediri mandavit.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propda Fide die 11. Maji An. MDCCCLXXXVIII.

Joannes Card. Simeoni Praefectus.

† D. Archiep. Tyren, Secr.

Acta Concilii.

LITERAE INDICTIONIS CONCILII.

Michael Heiss,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Milwaukiensis,

Omnibus Illustrissimis et Reverendissimis Episcopis, Vicariis Apostolicis, Abbatibus atque admodum Reverendis Ordinum seu Congregationum Praepositis, majorum Seminariorum Rectoribus in Provincia Milwaukiensi, ceterisque omnibus qui de jure vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent,

Pacem et Salutem in Domino.

Postquam Illmus et Rmus Archiepiscopus Baltimorensis. Delegatus Apostolicus, per literas datas in festo Epiphaniae hujus anni, Decreta a Patribus Concilii Plenariii Baltimorensis III. lata et a Sancta Sede recognita ea, qua pollet auctoritate, promulgavit et in simul juxta tenorem ultimi tituli dicti Concilii iterum monuit, ut eadem Decreta in Synodis Provincialibus et Diocesanis quamprimum habendis ad cautelam et majorem solemnitatem denuo promulgentur, hisce bene perpensis et Rmis Episcopis hujus Provinciae consultis, pro munere Nostro, Sanctissimae et Individuae Trinitatis nomine invocato, auspice Immaculata ac Beatissima Virgine Maria Deipara coelesti horum Statuum Patrona, Indicimus et Convocamus hisce praesentibus Concilium Provinciale Milwaukiense I. in Metropolitana Nostra Ecclesia inchoandum quarta die Dominica post Pascha, quae incidit in diem

23. mensis Maji, atque ut dicto tempore et loco conveniant omnes, qui de jure vel consuetudine interesse debent, in Domino hortamur et praecipimus.

Ut autem, auxiliante Divina gratia, hujus Synodi celebrandae fructus fiant uberrimi, rogamus, ut indicta ab Ordinariis solemni supplicatione, fideles effusis precibus ad Patrem luminum, labores Nostros adjuvare conentur.

Datum in Civitate Milwaukiensi ex aedibus Nostris die 20mo mens. Aprilis, A. D. 1886.

† Michael Heiss,
Archiep. Milwaukien.

LITERAE PATRUM CONCILII
AD
S. S. D. N. LEONEM P. P. XIII.

Beatissime Pater!

Obsequentes recognito a Sancta Sede monito Patrum Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii, ut quamprimum post promulgationem a Rmo Delegato Apostolico factam, ejusdem Concilii decreta in Synodis Provincialibus et Dioecesanis iterum promulgentur, nos infra humillime signati Praesules Provinciae Milwaukiensis Concilium Provinciale, idque Primum, in Ecclesia Metropolitana Milwaukiensi a Dominica IV. usque ad Dominicam V. post Pascha hujus anni rite celebravimus.

Vix aliquid novi in hac Synodo statuimus, in id potissimum animos intendentes, ut collatis consiliis optimas inveniremus vias ac media, quibus saluberrima illa Concilii Plenarii decreta fideli et efficaci executioni in hac Provincia nostra sine ulla cunctatione mandarentur. Quapropter omnia quidem ac singula laudati Concilii decreta ab omnibus ad quos spectant religiosissime observanda decernentes, ea tamen, quae pro conditione hujus Provinciae difficilioris executionis et majoris momenti esse videbantur, per decreta specialia

clarius proponere et fortius urgere studuimus, inprimis vero ea, quae ad formam regiminis Ecclesiastici lege communi magis conformem, ad perfectiorem Cleri institutionem et educationem juventutis, ad tutam bonorum Ecclesiasticorum administrationem, nec non ad difficillimam illam de Societatibus Secretis quaestionem pertinent.

Hisce laboribus, cum Apostolica Tua benedictione, pretiosissimo divini auxilii pignore coeptis, finem hodie imposituri, iterum oculos nostros ad Te, Beatissime Pater, verum Beati Petri Successorem, Magistrum totius gregis Christi infallibilem, convertimus et omnia, quae statuenda censuimus, supremo Sedis Apostolicae judicio recognoscenda summa cum devotione et reverentia submittimus. Nos ipsi autem ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti pollicemur et vovemus, unitis viribus cuncta media, quae accuratae Decretorum Concilii Plenarii executioni inserviant, summo cum studio nos esse adhibituros, secura mente sperantes, religiosam eorum observantiam nobis ea, quae ad perpetuam Ecclesiae prosperitatem et quotidianum religionis incrementum in his regionibus requiruntur. esse collaturam.

Dignare igitur, Beatissime Pater, accipere labores hujus Concilii Provincialis Milwaukiensis Primi. Benedic eis, ut fructificent et fructus eorum maneant semper. Nos vero, ut filii Tuii devotissimi, una cum clero et populo nostro fideli, Deum O. M., incessanter implorabimus, praecipue hoc anno Jubilaei, ut Sanctitatem Tuam diu sospitem incolumemque conservet et plenam Ecclesiae Dei regendae libertatem, pro qua mirabili cum sapientia et fortitudine non minus ac felici successu ab ipsis gloriosi Pontificatus Tui principiis hucusque dimicasti, tandem Tibi restauret.

Apostolicam Tuam Benedictionem pro nobis ipsis et pro clero ac populo nobis commissis humillime efflagitantes,

Sanctitatis Tuae

filii amantissimi, oboedientissimi.

Milwaukiae, Dom. V. p. Pascha,
a. d. III. Kal. Jun A. D. 1886.

CONVENTUS PRAEPARATORII.

I. Episcoporum.

Conventus praeparatorius Episcoporum habitus est Sabbato, die 22do Maji, hora X. A. M. Adsunt omnes, praeter Crossensem, gravissimo quodam negotio usque ad vesperam istius diei detentum. Magno cum dolore Patres nuntium accipiunt, Ven. Seniorem Episcopum Provinciae, Rmum D. D. Tomam L. Grace, Mennithensem, morbo impediri quominus Consilio intersit. Praeter Epos adest Adm. Rev. Fr. Katzer, Admin. Sinus Viridis, S. V.

Dictis precibus Praeses de assensu Patrum statuit materias in Concilio tractandas. Iis quas jam typis impressas in forma Schematis Decretorum omnibus considerandas miserat, placet adjicere quatuor quaestiones, quae in fine Schematis sub nomine: "Quaestiones extra Schema propositae" ponentur.

Lectis nominibus Synodalium et approbatis, votum decisivum conceditur Rmo D. Alexio Edelbrock O. S. B. Abbati Sti Joannis. Officiales Synodi a Praeside propositi a Patribus approbantur.

Quatuor Congregationes Particulares formantur, quae suo loco in Actis describentur.

Ordo Conciliaris statuitor. His peractis Praeses annuntiat, Sanctitatem Suam misisse Benedictionem Apostolicam telegrammate modo ab Emo Cardinali Praefecto S. C. de P. F. recepto. Quod paternae Summi Pontificis benevolentiae signum omnium animos tanto gaudio afficit, ut Sancto Patri gratias quam primum reddendas statuant. Cui voto Praeses satisfecit his verbis eodem die Romam missis: "Sancto Patri summo cum obsequio gratias pro Benedictione maximas."

Quoad literas scribendas Praeses declarat, exemplar literarum ad Summum Pontificem se ipsum Patribus mox esse propositurum, literas vero Pastorales ad clerum populumque Provinciae scribendas se commississe Rmo Epo Tiberiadis.

Dictis precibus Patres recedunt.

II. Conventus praeparatorius omnium Synodalium.

Eodem die, hora II. P. M. omnes Synodales in Ecclesiam Metropolitanam conveniunt.

Dictis precibus et allocutione a Praeside facta, legitur

CATALOGUS SYNODALIUM.

I. Praesules:

Illmus et Rmus Michael Heiss, Archiepiscopus Milwaukiensis, Concilii Praeses.
Illmus et Rmus Rupertus Seidenbusch O. S. B.
Epus Haliensis, Vic. Apost. Minn. Sept.
" " " Joannes Ireland, Epus Sti Pauli.
" " " Joannes Vertin, Epus Marianopolitanus et Marquettensis.
" " " Martinus Marty O. S. B.
Epus Tiberiadis. Vic. Apost. Dakotae.
" " " Kilianus Caspar Flasch, Epus Crossensis.
Adm. Rev. Fridericus Katzer, Adm. Sinus Viridis S. V.
Rmus D. Alexius Edelbrock O. S. B. Abbas Sti Joannis.

II. Rraelati Domestici Sanctitatis Suae:

Rmus Leonardus Batz, V. G.

III. Ordinum Religiosorum Superiores:

Adm. Rev. Fr. Franciscus Haas, Provincialis Ordinis Minorum Capucinorum.
Adm. Rev. Fr. Joannes Gaffron.
Ordinis Fratrum Sancti Francisci, Praeses.
Adm. Rev. F. Dinehan.
Ordinis Praedicatorum, Prior.
Adm. Rev. Stanislaus Lalumiere, S. J. Superior.
Adm. Rev. Anselmus Leiter, S. J. Superior.
Adm. Rev. Guilelmus Corby, Congregationis Sanctae Crucis Superior, Miss. Apost.

IV. Superiores Seminariorum Majorum:

Adm. Rev. Augustinus Zeininger, Rector Seminarii Sti Francisci Salesii, Milwaukiae.
Adm. Rev. Thomas O'Gorman, Rector Seminarii Sti Thomae Aquinatis, Sti Pauli.

V. Theologi :

Rev. Laurentius Conrad. Rev. Jodocus Adolphus Birkhauser. Rev. Jacobus J. Keogh. Rev. Thomas Fagan.	pro Metropolita.
Rev. Joseph F. Buh. Rev. F. X. Aug. Stemper.	pro Epo Haliensi.
Rev. Aloysius Plut. Rev. Joannes Shanly.	pro Epo Sti. Pauli.
Adm. Rev. Eduardus Jacker. " Fridericus Eis.	pro Epo Marianop. et Marquet.
Adm. Rev. Georgius L. Willard V. G. Adm. Rev. Otto Zardetti S. T. D. Can.	pro Epo Tiberiadis.
Adm. Rev. Jacobus Schwebach V. G. Rev. Carolus F. X. Goldsmith S. T. D.	pro Epo Crossensi.
Rev. Nicolaus July. " Elzear De Wilt.	pro Admin. Sinus Viridis.

2. OFFICIALES CONCILII.

I. Promotores :

Illmus et Rmus Tiberiadis, Vic. Apost. Dakotae.
Adm. Rev. Admin. Sinus Viridis.

II. Judices Excusationum et Querelarum.

Illmus et Rmus Sti, Pauli
" " " Marianopolitanus et Marquettensis.
Rmus Alexius Edelbrock O. S. B. Abbas Sti. Joannis.
Rmus Leonardus Batz, Prael. Domest. Sanct. Suae.

III. Notarius:

Adm. Rev. Augustinus Zeininger.

IV. Secretarii:

Rev. P. M. Abbelen.
" Joseph Rainer.
" Simon Lebl S. T. D.

V. Notarii Deputationum:

Rev. Carolus F. X. Goldsmith S. T. D.
" Joannes Shanly.
Adm. Rev. Eduardus Jacker.
" " Otto Zardetti S. T. D. Can.

VI. Magistri Caeremoniarum:

Rev. Jacobus J. Keogh.
" Guilelmus Neu.
" J. M. Naughton.

VII. Magister Cantorum:

Rev. Carolus Becker.

VIII. Praefecti Hospitiorum:

Rev. Dom. Thill.
" J. M. Naughton.
" Joannis Morrissey.

ORDO DEPUTATIONUM CONCILII.

Deputatio Episcoporum: Super Materias Novas.

Illmus et Rmus Haliensis.
" " " Crossensis.
Rmus Leonardus Batz, Prael. S. S.

Deputationes Theologorum:

Deput I. Super Capp. I, II. III, Schematis.
et Quaest. I, extra Schema propositam.

Praeses:

Illmus et Rmus Haliensis. Vic. Apost. Minn. Sept.

Vicesgerens:

Adm. Rev. Guil. Corby, G. S. C. Miss. Apost.

Notarius:

Rev. Carolus F. X. Goldsmith, S. T. D.

Theologi:

Adm. Rev. Stanislaus Lalumiere S. J.
Rev. Laurentius Conrad.
Rev. Nicolaus July.
Adm. Rev. P. A. Dinehan O. P.

Deput. II. Super Capp. IV, V, VI, VII, Schematis et quaest. II. extra Schema propositam.

Praeses.

Illmus et Rmus Sti Pauli.

Vicesgerens.

Adm. Rev. Thomas O'Gorman.

Notarius.

Rev. Joannes Shanly.

Theologi.

Rev. J. A. Birkhaeuser.
" Aloysius Plut.
" Jacobus Keogh.
" Thomas Fagan.

Deput III. Super Capp. VIII, IX, X, XI. Schematis et quaest. III. extra Schema propositam.

Praeses.

Illmus et Rmus Marianopolitanus et Marquettensis.

Vicesgerens.

Adm. Rev. P. Franciscus O. M. Cap.

Notarius.

Adm. Rev. Eduardus Jacker.

Theologi.

Rev. Elzear De Wilt.
Rev. Fr. Eis.
Rev. Joseph F. Buh.
Rev. Joannes Gaffron O. S. F.

Deput IV. Super Capp. XII, XIII, XIV, XV. Schematis et quaest. IV extra Schema propositam.

Praeses.

Illmus et Rmus Crossensis.

Vicesgerens.

Adm. Rev. Jacobus Schwebach, V. G.

Notarius.

Adm. Rev. Otto Zardetti S. T. D. Can.

Theologi.

Adm. Rev. A. Leiter S. J.
Adm. Rev. Georgius L. Willard V. G.
Rev. F. X. Aug. Stemper.

METHODUS CONCILIARIS.

I. Sessiones publicae habentur Dominica IV et V post Pascha; hora decima antemeridiana. Feria V Missa solemnis

de Requiem celebratur pro defunctis Episcopis Provinciae, hora 9na A. M.

II. Congregationes Theologorum particulares habentur feria II, IV, et VI, hora 3tia P. M.

III. Congregationes generales omnium Synodalium habentur feria III et V hora 3tia P. M.

IV. Congregationes Episcoporum privatae habentur singulis diebus, excepta fer. V, hora 9na A. M.

Lectis decretis de jure et consuetudine legendis et indicata Prima Sessione Solemni, cum precibus omnes recedunt.

PRIMA SESSIO SOLEMNIS

habita est Dom. IV p. Pascha hora X A. M., summa cum solemnitate et omnibus rubricis et caeremoniis religiose servatis. Missam celebravit Rmus Praeses, concionem habuit Rmus Sti Pauli. Synodales sequentem *Professionem Fidei* proclamarunt:

"Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine et homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis, Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur ; qui locutus est per prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.

"Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime ad-

mitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta atque ad salutem humani generis licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam protestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

"Caetera item omnia a sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac praecique a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata,

praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili Magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia."

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria II, hora IX A. M. omnes Patres in aedes ad Cathedralem conveniunt. Adsunt etiam Notarius et 1mus ac 3tius Secretarius.

Dictis precibus acta conventus praeparatorii Eporum a Secretario lecta ab omnibus approbantur.

Haliensi proponente et Marquettensi annuente, omnibus placet, ut literae congratulatoriae ab Epo Sti. Pauli scribantur ad Emum D. D. Jacobum Gibbons, Archiepiscopum Baltimorensem, virum tum praeclaris suis virtutibus, tum optimis de Conc. Plen. Balt. III, meritis tali venerationis signo dignissimum, de cujus elevatione ad dignitatem Cardinalatus nunc certo constet. Deinde Patres accedunt ad tractandas materias in Schemate propositas. Explicat Haliensis expedire, ut decretum formetur, quo expressis verbis statuatur, Editionem Decretorum, quae suo tempore de mandato Praesidis publici juris fiet, habituram esse vim et robur evidentiae quam vocant "prima facie" coram judice sive civili sive ecclesiastico, eodemque decreto complectendas esse editiones Conc. Plen Balt. II et III, necnon Editiones Statutorum Dioecesanorum, regulationum, praescriptorum etc., quae in hac Provincia vel in singulis ejus Dioecesibus aut Vicariatibus Apostolicis vim legis Ecclesiasticae juxta eorum tenorem habeant.

Haliensi movente et Sti Pauli juvante omnibus placet, ut Praeses tale decretum conficiat et cum ceteris decretis publicet.

In textu Decretorum Schematis sequentes modificationes placent:

In Cap. I n. I p. 4, in linea prima, movente Haliensi, juvante Marquettensi, omnibus consentientibus post verba "omnibus Dioecesibus" addenda sunt verba "et Vicariatibus Apostolicis." In eodem numero, movente Tiberiadis, Sti Pauli accedente, pro "Superiori auctoritate" legendum "legitima auctoritate" omnibus placet.

In Cap. II, pro "fundamentum initium et radix" Praeses proponit "initium, fundamentum et radix" juxta textum Trid. In eodem numero, movente Tiberiadis, Praeside annuente, loco "confitemur et docemus" legitur "declaramus et confitemur."

In Cap. III, ad num. II, Praeses, juvante Crossensi, proponit ut Promotor et Secretarius conscribant modum procedendi in Visitatione triennali Dioeceseos. Omnibus placet.

Ad num. IV, dubium oritur de clausula "nisi forte adsint in Dioecesi dignitarii honorarii altioris gradus Sanctae Sedis," Admin. Sinus Viridis deputatur ad indagandam quaestionem de praecedentia Vicarii Generalis, ut constet, utrum haec clausula expungenda sit necne.

Dicta oratione Patres recedunt.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria III., hora IV, A. M. Patres conveniunt, Notarius, 1mus et 2dus Secretarius adsunt.

Acta Primae Congr. Privatae approbantur.

Notarius legit relationem de primo conventu Primae Deputationis Theologorum, qui proponunt, ut in Cap. I n. 3 verbum "emendo" omittatur. Placet Patribus.

In Cap. II n. III pro "vel definiuntur" Theologi legi volunt "vel exponuntur," quod Patribus minus placet, Verba "vel definiuntur" ut omnino omittantur, statuunt.

In Cap. III n. II pro sententia quae incipit "Nec omittatur" Epus Sti Pauli proponit sequentem: "Nec omittat Epus tempus indicare, quo unusquisque fidelium, qui consilio ipsius in quacunque causa indigeat, liberum ad se aditum in hac pastorali visitatione habere possit." In eodem no. post verba "de statu dioeceseos" addere placet, "vel Vicariatus Apostolici," et sic passim. Ad num. IV audita relatione

Admin. Sinus Viridis omnibus placet, ut clausula: "Nisi forte adsint in dioecesi dignitarii honorarii altioris gradus Sanctitatis Suae" expungatur, ordo vero cleri dioecesani disponatur his verbis: Quapropter statuimus: 1, ut primum locum teneant Vicarii Generales, 2, ut illis proximi habeantur Rectores Seminariorum Clericalium:; 3, ut tertio loco ponantur Consultores; 4, quarto Decani; quinto Rectores inamovibiles, Examinatores et Professores Seminarii Clericalis, aequo tamen jure; 6, sexto Rectores Simplices; 7, septimo Vicarii; in unoquoque vero gradu praecedentia definiatur secundum aetatem ordinationis.

In no. V, suggerente Sti Pauli, Haliensi accedente, post verba: "scholarum conditionem" addendum esse: "et administrationem temporalem" omnibus placet. Post vocem "fideliter" additur "saltem."

Num. VI eliminatur, ut plus minusve in no. V contentus. Ad num. IX Sti Pauli proponente et Haliensi juvante placet totam partem omitti, quae sequitur verba: "pro pueris provectioris aetatis."

Ad ultimum hujus capitis mumerum difficultas oritur quoad participationem Regularium in collationibus Cleri. Quae enim in textu Decretorum Conc. Plen. Balt. III p. 47 n. 88 a Regularibus sub hoc respectu requiruntur, strictiora esse videntur quam quae constitutio "Romanos Pontifices" (p. 217–218 in Appendice) ab ipsis postulat.

Ad difficultates, quae ex hac discrepantia oriri possent praecavendas Patres Praesidem rogant, ut authenticam interpretationem illius textus dubii a Sacra Congregatione petat, ad plenam decreti cum constitutione concordiam obtinendam, quod Praeses se facturum esse annuit.

Legit Notarius relationem de primo conventu Secundae Deputationis Theologorum, ex quorum mente:

In Cap. IV, secunda capitis paragrapho, post verba: "juniores de clero," Patribus addere placet: "sive saeculari sive regulari."

In Cap. V autem,, num. II, paragr. 1ma post verba "scientia peritis," addere, "inter quos tamen nonnulli annumerantur, qui in Seminario munus Professorum non exerceant." Pro num. III Epus Sti Pauli, omnibus annuentibus proponit, ut Secretarius novum decretum in crastina Congregatione Patribus submittat.

In num. V pro "novo Episcopo" legatur "novo Ordinario."

Prooemium, Cap. I, II, III, et IV cum emendationibus ab omnibus acceptantur.

Dictis precibus omnes recedunt.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria IV, eadem hora et in eundem locum Patres iterum conveniunt, Notario et 1mo ac 3tio Secretariis praesentibus. Lectis et approbatis actis II Congregationis Patres in Cap. V, pro no. III, sequens decretum substituunt: "Clericos regulares ante ordinum sacrorum susceptionem Epus examinabit, aut ipse per se aut per examinatores a se deputatos, semper tamen Superiore vel Magistris conventus inter examinatores annumeratis.

Notarius legit relationem de 2ndo Conventu 2ndae Deputationis Theologorum, quae tractat de Cap. VI Schematis. Patres, audita relatione, ad discussionem hujus Capitis accedunt.

In num. II, ubi de praecipuis mediis ad perfectionem vitae sacerdotalis assequendam agitur, Epus Tiberiadis petit, ut iis "tempestiva recitatio Breviarii" annumeretur. Proponente Sti Pauli omnibus placet, Sccretario mandare, ut separatum de hac re decretum Patribus submittat.

Quoad num. III Theologi desiderant, ut pro "tres dies" legatur "quinque dies." Quod Patribus minus quidem arridet, nihil tamen decernunt, Praeside animadvertente, sua opinione extare Decretum quoddam Sacrae Congregationis, quo hoc punctum definiatur; si inveniri possit, se allaturum esse decretum.

In num. IV Patres insistunt, ut post verba "judicio Episcopi" inseratur hoc mandatum: "Item mandamus ut Sacerdotes a publicis equorum abstineant cursibus, a theatris et spectaculis, quum talia sine praejudicio honoris et decoris ordinis sacerdotalis adiri non possint."

Quoad vestitum sacerdotalem, Epo Sti Pauli suggerente Secretarius dirigitur, ut speciale decretum submittat, quo etiam Regulares adigantur ad Collare Romanum gestandum, quando foras prodeunt.

Ad num. VI Secretario mandatur, ut Decretum proponat ad mentem tam relationis Theologorum quam decreti 71 Conc. Pl. Balt. III.

Capite VII ad sequentem Congregationem remisso, Notarius legit relationem de 1mo Conventu Deputationis III. Theologorum, quae primo loco tractat de quaest. 3tia extra Schema proposita, scil: "An expediat Collectiones in die Nativitatis D. N. J. C. et Paschae haberi iu usum Rectorum." Sensus Theologorum est ut Collectio in die Nativitatis Rectori tribuatur. Collectio vero in die Paschae applicetur cuivis objecto vel fini ab Epo designando.

Haliensi proponente et Crossensi accedente Patres decernunt, collectas in die Nativitatis inter reditus Ecclesiae annumerandes, collectas vero in die Paschae ad finem vel objectum ab Epo definiendum esse vertendas,

In Cap. VIII n. III, paragr. 3tia p. 12, lin. 1, legendum: "esse ab Episcopo reprehendendam," ut textus Schematis cum decreto Conc. Pl, Balt. III, plene concordet.

Incoepta discussione de examine magistrorum et magistrarum scholae Patres recedunt cum solitis precibus.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

Feria VI hora 9na A. M. omnes Patres cum Notario et 1mo ac 3tio Secretariis conveniunt.

Secretarius a Patribus detegitur erravisse in iis quae de collectis refert. Patres enim eum monent se decrevisse, collectas tam in die Nativitatis quam in die Paschatis inter reditus Ecclesiae esse annumerandas, nisi Epus eas alii objecto Dioeccsano vel alicui causae piae assignaverit.

Approbatur sequens decretum de recitatione Breviarii:

"Sacerdotibus nostris in mentem revocamus gravissimam illam obligationem divini officii quotidie recitandi. Cui obligationi, ut digne, attente ac devote satisfaciant, vehementer eos in Domino hortamur, ut nunquam sine justa causa recitationem officii ad tempus serotinum vel ad ipsas horas nocturnas differant, sed singulas partes officii tempore ab Ecclesia assignato persolvant, memores moniti Sti Benedicti: "Operi Dei nihil praeponatur."

Deinde, quoad vestitum sacerdotalem, Patres sequentia approbant: "Insuper monemus, ut quae de vestitu sacerdotali a laudatis Consiliis statuta sunt, ab omnibus stricte serventur; imprimis vero stricte praecipimus, ut omnes clerici, tam saeculares quam regulares, quando, seposito habitu sui

ordinis proprio, foras prodeunt, Collare Romanum semper gerant, quum in his regionibus aliud distinctivum vestimentum clericale usu receptum non sit."

Denique etiam decretum de taxa pro sustentatione Sacerdotum indigorum imponenda Patribus plaeet: Ut autem subsidia ad sustentandos hujus modi Sacerdotes obtineamus, decernimus, ab aequitatis et justitiae tramite alienum non esse, quod Episcopus omnibus ac singulis Dioeceseos Sacerdotibus annuam taxam, quae ipsi justa et aequa videbitur, imponat. Aerario sic instituto tres vel quinque presbyteros ab ipso ex iis quorum nomina a Sacerdotibus proposita fuerint eligendos proponat, qui juxta normas clare definitas et ab Episcopo approbatas, hoc aerarium administrabunt et subsidia distribuent. Siquis vero Episcopus alio modo subsidia obtinere velit, id ipsi liberum erit.

Tum Patres redeunt ad quaestionem de residentia Sacerdotum. Praeses igitur in medium profert Decr. S. R. C. de die 8va Feb., 1847, quo audito Patres Secretario mandant, ut Decretum submittat quo Sacerdotibus strictissime vetetur, ne Dominicis vel Festis de praecepto ab Ecclesiis absint, nisi urgentissimis de causis, etiamsi assistentes vel vicarios idoneos in locis suis reliquerint. Sequens vero decretum, brevi post a Secretario propositum placet: "Diebus vero Domininicis vel Festis de praecepto Sacerdotibus nunquam, nisi urgentissimis de causis Episcopo fideliter expositis et ab ipso in scripto approbatis, ab Ecelesiis suis abesse licet, etiamsi vicarios vel assistentes idoneos in locis suis reliquerint. Curent vero Sacerdotes, pro singulis casibus absentiae, animadvertere fideles, quem ex vicinioribus Sacerdotibus in casu necessitatis adire debeant."

Cap. VI. ita emendatum, omnibus placet.

In Cap. VIII. "De Scholis Parochialibus" omnia placent sicut in Schemate leguntur.

Ad. num. IV autem, ubi agitur de commissione ad magistros et magistras examinandas instituenda, Secretario mandatur, ut de hac re Decretum praeparet.

Tota fere hujus rei discussio versatur de magistris religiosis, et quidem de sororibus, quum fere omnes hujus Provinciae Scholae ipsis commissae sunt. De communi Patrum consensu examen earum si non absolute necessarium, saltem perutile est ad majorem Scholarum nostrarum perfectionem. Sed etiam in hoc omnes conveniunt, aut omnes omnino, aut nullas

esse examinandas. Patres nullo quidem modo intendunt derogare privilegio, quo Congregationes, quae suos habent Superiores vel suas moderatrices generales, juxta Constitutiones a S. S. approbatas, ab hoc examine exemptae sunt, bene intelligentes, juxta strictam legis interpretationem, hoc examen ad solas Congregationes dioecesanas restringi. Attamen, quum ex una parte non modo ex natura rei sed etiam ex verbis Sacrae Congregationis (v. Conc. Pl. Balt. III. num. 203 p. 100.) Episcopi jus habeant, in committendis Scholis Parochialibus certas pactiones cum congregationibus religiosis inire, ex altera vero parte omnino certi sint, congregations exemptas, pro bono communi et sine ullo damno pro se ipsis huic examini se esse submissuras, post maturam deliberationem firmo proposito statuunt, se in nulla Dioecesi Provinciae Scholas esse commissuras alicui congregationi, quae pactionem de examine cum Episcopo et ipsum examen juxta normam in Conc. Pl. Balt. III no. 203 descriptam subire recusaverit.

Notarius legit relationem Theologorum de Cap. VII. In no. II hujus capitis Theologi proponunt, ut pro clausula "primo ut quoad victum et salarium illis non nimis parce provideatur," haec inseratur: "Ut professores Seminarii clericalis quoad victum et salarium totamque temporalem sustentationem nihil habeant, cur invideant coaetaneis suis in pastorali munere laborantibus." Placet Patribus.

Num. IV, suggerente Tiberiadis, his verbis concipitur: "Illi autem ex Sacerdotibus, qui in Seminariis gratis sustinebantur, memores beneficii accepti gratos sese praebere debent, refundendo intra tempus ab Epo definiendum, dimidiam saltem partem expensarum pro ipsis factarum.

Cap. VII., sic emendatum, Patribus placet.

In Cap. IX pro "quibus absint fideles" legatur "omnium omnino missarum horis pro fidelium assistentia statutis dicendarum."

In Cap. X ad num. III Patribus, de Theologorum suggestione, addere placet: "Sacerdotum est, aditum ad Sacrum Tribunal fidelibus omnino facilem reddere. Itaque inprimis eos, quibus magna fidelium multitudo commissa est, hortamur, ut quotidie dimidia hora ante Missam Parochialem in Confessionali fidelibus praesto sint."

Ad num. IV ex relatione Theologorum in fine sequentia addere Patribus placet: "Sciant vero Rectores, ipsorum

esse instruere pueros ad Confessionem aequiter ac ad Communionem, neque sub ullo praetextu hoc officium omnimodo relinquant magistris."

In no. VI. par. 1, omittatur vox : "speciali,"

In par. 2, suggerente Tiberiadis, omittitur : "Saltem."

In par. 4, post "circumspecte causas" addatur "canonicas."

Ad finem par. 6, proponente Sti Pauli, addatur Decretum de obligatione sequendi Rituale Romanum, praesertim in administratione Saeramentorum.

In no. VII. pro verbis : "ne occasione ministerii praestiti" legatur : "ne pro ministerio Sacro." Loco "providet" lege : "praevidet."

Deinde acceptatur Cap. X. sic emendatum.

His peractis, Epus Sti Pauli petit, ut abusus quidam cum funeribus connexi e medio tollantur, inprimis vero tributa florum, in quibus profecto nihil sit, quod spiritum vere Catholicum sapiat. Secretarius formet decretum. Idem Epus proponit Decretum, quo immoderatus quorundam zelus in commendandis et conducendis Missionibus pro populo coerceatur.

Dictis precibus omnes recedunt.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

Eodem die, hora 3½ P. M. habita est V Congr. Privata. Omnes adsunt. Notarius legit relationem tertiae Deputationis Theologorum de Cap. XI., atque inprimis de solemnitate "Corpus Christi." Petunt Theologi ut declaretur, processionem solemnem in ipso festi die fieri posse. Praeses autem paragr. 2 et 3, Responsi VI. Sacrae Congr. (v. Conc. Pl. Balt. III. p. CVI.) eo sensu explicat, ut processioni in ipso die festi instituendae nihil obstet. Ad num. III Epus Sti Pauli, ceteris annuentibus, petit, ut clausula de Rubricis Processionalis Romani et Caeremonialis Baltimorensis in processione festi "Corpus Chsisti" stricte servandis addatur.

In no. IV post "festum Patronale" placet addere : "vel Titulare."

Cap. XI. sic emendatum, acceptatur.

Ad Cap. XII in no. I loco "Monasteriis" legendum erit : "aliisque causis piis." In fine ejusdem num., ex relatione

Theologorum Patribus addere placet: "Itaque Rectores singulis annis tempore a Conc. Pl. Balt. III n. 272, statuto, nisi Epus aliud statuerit, plenam et distinctam exhibebunt rationem de omnibus Missionis suae proprietatibus, reditibus, debitis, expensis, sicut fusius praescribitur in eodem decr. 272 Conc. Pl. III.

In no. III movente Sti Pauli, juvante Haliensi, omnibus placet omittere ea quae sequuntur: "Nullus vero Sacerdos in re pecuniaria et praesertim in aere alieno quocumque contrahendo nomine Epi vel tamquam ipsius, ut dicunt Agens (Agent) agere censeri potest, nisi speciali mandato, scripto dato, ab Epo ad agendum deputatus sit. Nullus Sacerdos sine speciali Epi permissione, scripto data, pecuniam suam in Ecclesiae vel Missionis suae usum mutuum dare potest; si quis vero sine tali permissione mutuum dederit, donasse censetur."

Quoad salarium Sacerdotum Epus Sti Pauii exponit, tutius esse, ad lites praecavendas, non statuere salarium fixum, quod Sacerdotibus solvi debeat, sed potius summam, quam percipere possint, si reditus Ecclesiae permittant, et quam excedere non debeant. Mandatur Secretario, ut Decretum de salario conficiat juxta mentem Conc. Pl. III n. 273.

Deinde leguntur Literae Pastorales.

More solito omnes recedunt.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

Hora 9na A. M. omnes adsunt, Leguntur acta Congregationum superioris diei, et decreta de Rituali Romano, de Funeribus, de Processione in festo "Corpus Christi," quae omnia Patribus placent, Decretum vero de Salario a Secretario propositum non placet, aliud conficere jubetur.

Totum Cap. XIII. "De Societatibus Secretis," ut in Schemate prostat, Patribus placet.

In Cap. XIV. pars 1ma, ut nimis stricta omittitur, et 2nda modificatur. Ad par. 4 (resp. 3) additur decretum de commissione pro catalogo Sacrae Musicae conficiendo instituenda. In ultimo Cap., ad sustentationem Cancellariae, statuitur taxa $2.00, pro singulis dispensationibus, nisi oratores sint omnino pauperes.

Dictis precibus omnes recedunt.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA

habita est eodem die, hora III P. M. Legit Secretarius decreta de Salario, de Cantu Sacro, de Taxa pro Cancellaria, quae omnia acceptantur.

Epus Sti Pauli submittit decreta de Missionibus, de Die Dominica, de Catechismo, de Coemeteriis, de Assistentibus, de Meritis Sororum, quae omnia quoad substantiam placent, quoad forman ad Praesidem referuntur, qui ea Secretario exaranda tradit.

Deinde omnia ac singula capita Schematis cum emendationibus unanimi voto acceptantur.

Quaestiones extra Schema propositae erant sequentes:

1. Quoto aetatis anno pueri admitti possint et debeant ad primam S. Communionem ?

2. Utrum melius sit. Collectas infra Missam ad Offertorium factas partem esse salarii Rectorum, an ad aequalitatem habendam eas potius Ecclesiae Administrationi committere et Salarium fixum pro Rectoribus statuere ?

3. An expediat Collectiones diebus Nativitatis Domini et Paschae haberi in munus Rectorum ?

4. An expediat statuere de Salario Rectorum, ut in civitatibus non sit supra mille nummos scutatos et ruri non supra octingentos ?

De quaest. 1 ma nihil statuitur. Quoad 2ndam decernitur, omnes omnino collectas inter reditus Eccliae esse annumerandas. De 3tia et 4te jam provisum in decretis.

Quoad "Visitationes Dioecesis," de quibus jam in I Congr. tractabatur, Epus Tiberiadis Patres refert ad Conc. Trid (Sessio XXIV. De Ref. Cap. III.) et ad Caeremoniale Balt., a. 1883 editum, proponitque, ut in Cap. III. no. II. Schematis, pro voce: "sedulo" legatur; "prout locus, tempus et occasio feret."

Ex Deputatione pro causis novis propositum est dubium quoad num. 292 Conc. Pl. Balt. III. scil: utrum penes sacerdotes sit determinare in quo casu "gravis culpa apparet," an

haec res ad Epum referenda sit. Patres decreverunt, soli Epo solutionem dubii, de quo quaeritur competere. Episcopis in Sessionem strictissime privatam euntibus, ceteri omnes recedunt.

CONGREGATIONES PUBLICAE.

habitae sunt duae, prima fer. III., altera fer V. hora III P. M. Discussiones versabantur inprimis circa Scholas Parochiales, Relationem inter Clerum Regularem et Saecularem, administrationem Sacramentorum, honestam sustentationem cleri.

SECUNA ET ULTIMA

SESSIO SOLEMNIS.

habita est Dom. V p. Pascha, hora X A. M. Missam Solemnen celebravit Rmus Episcopus Marianopolitanus; Concionem habuit Rdus T. S. Fitzgerald, S. J. Rector Collegii Marquette, Milwaukiae. Deinde Sessio perducta est ad finem secundum omnes ac singulas Rubricas in Pontificali Romano praescriptas. Ante Acclamationes Rmus Episcopus Sti Fauli, magno cum cordis affectu allocutus est Rmum ac Illmum D. Praesidem, nomine omnium Synodalium ipsi gratias agens pro doctrina et prudentia, zelo ac charitate, quibus Concilio praesederit. Laudavit quoque zelum ac spiritum vere fraternum, quo Synodales officiis suis perfuncti sint, et uberrimos tanti operis fructus praedixit. Praeses vero, piis opportunisque verbis gratias et laudes reddidit Deo O. M. pro felicissimo hujus Concilii eventu, omnesque hortatus est, ut pro suis quisque viribus ad executionem decretorum Concilii adlaborarent. Se ipsum certo nihil magis in votis habere, quam ut saluberrima Conc. Pl. Balt. III decreta, celeri et efficaci executioni in hac Provincia mandentur.

ACCLAMATIONES.

Archi-Diaconus : Regi saeculorum immortali et invisibili soli Deo, Patri et Filio Spiritui Sancto : sempiterna laus et gloria.

Chorus : Benedicta sit Sancta et Individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum.

A.: Beatissimae Mariae Semper Virgini, Deiparae immaculate Conceptae, Coelorum Reginae et Mundi Dominae, gloriosissimae Patronae Nostrae : honor et veneratio.

C.: Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri!

A.: Beatissimo Patri Domino Nostro Leoni, legitimo Christi in terris Vicario, infallibili veritatis et virtutis doctori, intrepido et prudentissimo naviculae Petri gubernatori : admiratio et amor, obedientia et fidelitas, vita sempiterna.

C.: Dominus conservet Eum, et vivificet Eum, et beatum faciat Eum in terra et non tradat Eum in animam inimicorum Ejus.

A.: Rmo Domino Archiepiscopo hujus Concilii Provincialis Milwaukiensis Primi Praesidi, honor, salus, gratia et diuturna prosperitas.

C.: Mitte Ei Domine auxilium de Sancto, ut ad multos annos cum doctrina et pietate, sapientia et dignitate huic Provinciae praesit.

A.: Rmis Dominis Episcopis, qui hoc Concilium doctrina sua illustrarunt : magnae gratiae, perpetua felicitas.

C.: Benedic Eis Domine, et salvos redde Ecclesiis suis ad multos annos.

A.: Episcopis et Sacerdotibus hujus Provincia, in Christi servitio et pace Domini fideliter defunctis.

C.: Requiem aeternam dona eis Domine et copiosam in patria Coelesti laborum mercedem.

A.: Superioribus Ordinum Religiosorum et Theologis, qui huic Concilio doctrina prudentia sua astiterunt: vita, felicitas, magnis cum gratiis.

C.: Pater luminum et dator omnium bonorum retribuat eis.

A.: Clero et Fidelibus Nostrae Provinciae: gratia et benedictio in Christo Jesu Domino Nostro.

C.: Luceant opera eorum bona coram hominibus, ut sint Ecclesiae decus, gaudium nostrum et a Patre coelesti omnibus benedictionibus repleantur.

A.: Gubernio Nostro Civili et omnibus horum statuum Nostrorum Concivibus: salus, pax, prosperitas.

C.: Veritas, justitia, charitas omnium repleant mentes et dirigant actiones.

A.: Hoc Concilio Provinciali Milwaukiensi Primo finito, gratias agentes Domino Deo Nostro, discedamus in fidei unitate et pacis charitate, in iisque perseveremus semper.

C.: Fiat! Fiat! Amen! Amen!

Decreta Concilii.

PROOEMIUM.

Patres Concilii Plen. Baltimorensis III, cuius Decreta nuper promulgata sunt, declararunt titulo ultimo, cuncta et singula, quae in hoc Concilio decreta et constituta sunt, vim suam habere plenariosque et integros effectus sortiri per universas huius regionis ecclesias, statim ac per Rev'mum Delegatum Apostolicum promulgata fuerint, quin opus sit ea denuo in Synodis Provincialibus aut Dioecesanis promulgare. Nihilominus, addunt iidem Patres, tam ad cautelam quam ad solemnitatem ecclesiasticam legem sequentes, volumus, ut quam primum post promulgationem a Rev'mo Delegato Apostolico factam in Synodis Provincialibus et Dioecesanis iterum promulgentur, quo facilius omnibus innotescant mediaque idonea provideantur, quibus Concilii Decreta melius et efficacius executioni mandentur. Huic monito obsequentes et maxime desiderantes, ut Decreta laudati Concilii Plenarii absque ulla cunctatione vigorem suum plenum obtineant, omnes Rev'mi Praesules huius Provinciae Milwaukiensis in hoc convenerunt, ut a Rev'mo Archiepiscopo Concilium Provinciale convocaretur et a quarta die Dominica post Pascha usque ad quintam in Ecclesia Cathedrali Milwaukiensi more debito celebraretur ad duplicem finem supra expositum feliciter assequendum.

CAPUT I.

De Promulgatione Decretorum Concilii Plenarii Baltimorensis III.

I. Nos igitur Archiepiscopus et Episcopi huius Provinciae Milwaukiensis legitime in hoc Concilio Provinciali coadunati

cum omni auctoritate et potestate, qua pollemus in Domino, declaramus, mandamus et sancimus, ut universa et singula Decreta Concilii Plenarii Baltimorensis III vim legum ecclesiasticarum in omnibus Dioecesibus et Vicariatibus Apostolicis huius Provinciae obtineant et habeant semperque integrum vigorem habitura sint, nisi forte in posterum aliqua eorum legitima auctoritate immutentur vel abrogentur. Quapropter omnes et singuli Clerici et Laici, quatenus ad eos spectant, iuxta eorum tenorem, ad ea observanda in conscientia obligantur.

II. Insuper declaramus et decernimus, ea quae in praevio Concilio Plenario Baltimorensi II constituta et decreta fuerunt, adhuc in suo vigore permanere, et omnes cuiusvis Ordinis Clericos et Laicos iisdem debitam reverentiam et obedientiam exhibere teneri, iis tantummodo exceptis, quae forte per hoc Concilium Plenarium III sive abrogata sive immutata fuerint.

III. Ut autem haec Decreta praecipue Clericis cuiuscunque Ordinis plene et omnino innotescant, exoptamus et omnes hortamur, ut sibi codices utriusque Concilii Plenarii, et secundi et tertii, comparent et diligenter pervolvant.

IV. Insuper idem, quod iam Patres Concilii Plenarii II annuente S. Sede constituerunt, hac occasione data, de Decretis utriusque Concilii Plenarii constituimus et praecipimus, scilicet ut haec Decreta quasi norma sint, quam in scholis Theologiae et Iuris Canonici Professores sequi et explicare quamque eorum discipuli accurate addiscere teneantur.

V. Praeter hanc solemnem promulgationem et intimationem Decretorum dicti Concilii, munus duximus esse nostrum, in hoc Coetu singula ista Decreta mutuo consilio perstringere eaque animadvertere, quae pro conditione hujus Provinciae peculiari attentione digna videntur, nec non diligenter inter nos consilia conferre et inquirere, quae magis idonea et opportuna sint media ad efficaciorem eorum executionem.

CAPUT II.

De Fide Catholica.

I. Cum Fides sit initium fundamentum et radix salutis nostrae, hac data occasione, solemni professione et gratissimo

in Deum animo declaramus et confitemur, omnia quae ab Ecclesia Catholica sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio uti divinitus revelata et credenda proponuntur, fide firma nos tenere et credere, securo animo in Domino confidentes, gratia divina auxiliante, nos in hac fide inconcussa mente esse usque ad extremum vitae spiritum.

II. Signanter autem declaramus et confitemur nos firmissime credere et tenere omnia, quae a Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano definita et declarata sunt ac praecipue ea, quae idem Concilium docuit de primatu et infallibili magisterio Romani Pontificis, anathematizantes eos, qui huic doctrinae definitae contradicere aut ullo modo repugnare praesumpserint.

III. Reprobamus omnes errores sive a Conciliis generalibus praesertim Vaticano sive a R. Pontificibus damnatos, eaque omnia etiam detestamur quae in Litteris encyclicis Leonis Papae XIII, feliciter regnantis, damnantur ac reprobantur.

CAPUT III.

De Personis Ecclesiasticis.

I. Iubet Apostolus Episcopos "attendere sibi et universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo." (Act. 20, 28.) Hinc Episcopi et Clericis et Laicis omnibus sibi subditis jure divino praesunt cum debita subordinatione ad supremum illum antistitem, qui Petri primatus et infallibilis magisterii in universam Ecclesiam haeres est. Nemini igitur licet praeter Episcopi voluntatem ea aggredi, quae ullo modo spectant ad curam et regimen animarum. Magna est enim Episcopi dignitas, cui grex suus seu particularis Ecclesia consociari et adhaerere debet, quapropter omnes revereantur, ait S. Ignatius M., Episcopum ut Iesum Christum cuius locum tenet. Episcopus autem curet, ut haec dignitas sibi collata non solum tuta et integra servetur, sed incrementa in dies accipiat, humilitatem, caritatem et zelum animarum exercendo, atque universis suis officiis accurate perfungendo.

II. Ad haec inter alia annumerandae sunt triennales visitationes totius Dioecesis, in quibus peragendis caeremoniae

praescriptae, iuxta Caeremoniale eaque omnia quae in iure praescribuntur, prout locus et tempus et occasio ferat observentur. Nec omittat Episcopus tempus indicare, quo unusquisque fidelium, qui consilio ipsius in quacunque causa indigeat liberum ad se aditum in hac pastorali visitatione habere possit. Insuper notandum est, accuratam visitationis relationem in scriptis in archivio dioecesano asservandam esse, praecipue ut quinto quoque anno accuratiores relationes de statu Dioeceseos vel Vicariatus Apostolici ad S. Sedem transmitti queant.

III. In auxilium Episcopi ad regendum Clerum et populum sibi commissum iuxta Decreta Concilii Plenarii III Baltimorensis institui debent quamprimum Consultores, Examinatores, et Decani seu Vicarii Foranei.

IV. Expedire videtur, ut inter hos officiales ceterosque sacerdotes certi honoris gradus determinentur; quapropter statuimus: 1) ut primum locum teneant Vicarii Generales; 2) ut secundo loco ponantur Consultores; 3) tertio ut illis proximi habeantur Rectores Seminariorum Clericalium; 4) quarto Decani; 5) quinto Rectores inamovibiles, Examinatores et Professores Seminarii Clericalis, aequo tamen jure; 6) sexto Rectores simplices; 7) septimo Vicarii; in singulis vero gradibus praecedentia definiatur secundum aetatem ordinationis.

V. Inhaerentes vestigiis Patrum Concilii Provincialis IV Cincinnatensis et inprimis Concilii Plen. Balt. III, de officio Decanorum statuimus ut sequitur: Decanorum officium erit singulas missionum ecclesias et scholas parochiales decanatus singulis annis visitare, ecclesiarum et scholarum conditionem et temporalium administrationem investigare, collationibus theologicis praeesse, moribus et vitae sacerdotum ac eorum in cura animarum zelo invigilare, infirmos sacerdotes visere, et defunctorum exequias moderari, sacrorum vasorum et omnium, quae ad cultum divinum pertinent, decentiam exquirere. De quibus omnibus Episcopo in scriptis et fideliter semel in anno reddere debent rationem.

VI. Decani insuper Sacerdotum minores defectus, absque tamen figura iudicii, corrigere eorumque iurgia leviora in suis districtibus amice componere valent et debent.

VII. Quod ad instituendos parochos seu rectores inamovibiles, spectat, sedulo perpendantur conditiones requisitae, tum ex parte missionis in rectoratum erigendae, tum ex parte rectoris missionis ad munus rectoris inamovibilis promovendi.

VIII. Ex parte missionis inter alia etiam requiritur, ut instructa sit schola parochiali pro *utroque* sexu (Conc. Plen. III 33.)

IX, De concursu pro iis instituendo, qui ad Missionem inamovibilitatis privilegio gaudentem aspirant, Patribus placuit illum modum sequi, qui in fine cap. VI tit. II Concilii Plenarii III innuitur, ut scilicet examen de doctrina separetur ab examine de ceteris canonicis requisitis ea ratione, ut semel in anno vel etiam secundo quoque anno, statuto tempore, examen generale pro Missionibus in futurum vacaturis iuxta formam a Concilio Plen. III praescriptam instituatur; ceterae vero dotes attendendae expendantur, quando ecclesia quaedam vacans conferenda sit. Elapso vero sexennio aspirantes examini denuo se sistere debent.

X. De collationibus Cleri ad praxim in cura animarum spectantibus Episcopi summam habebunt sollicitudinem et curam, ut ea, quae a Concilio Plen. III tam diserte et accurate praecepta sunt, ubique ad amussim observentur.

CAPUT IV.

De Examine Neopresbyterorum.

Concilii Plenarii II monitis obsequentes et valde exoptantes, ut in sacerdotibus rerum divinarum scientia in dies crescat, haec statuere Nobis visum est:

1) Neopresbyteris in hac Provincia facultates sacro ministerio fungendi ad tempus unum annum non excedens ab Episcopis concedentur.

2) Iuniores de Clero saeculari semel in anno per quinquennium a sua ad presbyteratus ordinem promotione super quibusdam Theologiae tractatibus et S. Scripturae libris a Nobis vel ab iis, qui Nostras vices hac in re gerunt, proponendis coram Examinatoribus Synodalibus doctrinae suae specimina exhibeant.

3) Quodsi examinatorum votis non saticfecerint iterum iterumque ad nutum Episcopi, etiam quinque supra dictis annis elapsis, examini subiiciendi erunt usque dum de eorum scientia satis constiterit. Iterim vero altiora munia ne appetant.

4) In decernendis et eligendis iis, quibus competit rectoratibus et missionibus praeesse, aliis quidem dotibus non

praetermissis, examinatorum suffragium magni momenti in futurum erit.

CAPUT V.

De Examine Ordinandorum.

I. "Episcopi," aiunt Patres Concilii Tridentini, "sacerdotibus et aliis viris peritis legis divinae ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investigent et examinent."

II. Memoratae Synodi menti, saltem in quantum fieri potest, necnon Concilii Plen. II Balt. decretis obsequentes, quae sequuntur, regulas hac in re observandas statuimus:

1) Singuli ad Ordinum sive minorum sive maiorum susceptionem accedentes coram Episcopo vel sacerdote ab ipso deputato et examinatoribus synodalibus vel aliis sacrae scientiae peritis et ad hoc munus deputatis, inter quos nonnulli annumerentur qui in Seminario munus professorum non exercent, districto examine sese idoneos talique honore dignos ostendere tenentur.

2) At vero, si, qui ad Diaconatus Ordinem iam promoti sunt, proprio Episcopo, ut decet, se stiterint ad presbyteratum ab ipso suscipiendum, volumus, ut litteras a Rectore Seminarii, in quo studiis theologicis operam dederunt, signatas fidem facientes praescriptum studiorum curriculum eos peregisse cum bono successu, exhibeant, vel, si Ordinario magis placuerit, ut eos examini subiiciat.

3) Peracto examine Examinatores debent Ordinarium de omnibus certiorem facere, suamque sententiam de singulis Candidatis in scriptis patefacere.

III. Clericos regulares ante ordinum sacrorum susceptionem Episcopus examinare poterit, aut ipse per se, aut per examinatores a se deputatos, semper tamen Superiore vel magistris conventus inter examinatores annumeratis.

IV. Ex litteris nnperrimis S. Congreg. de P. F. notandum est, titulum Missionis extensum esse ad totam Provinciam, unde sacerdos in hunc titulum ordinatus de una Dioecesi in alteram transire valeat, Praesulibus, ad quos pertinet, consentientibus absque dispensatione de iuramento. Ii autem qui ante hanc extensionem ordinati sunt, possunt similiter

absque recursu ad Apostolicam Sedem in aliam Dioecesim intra Provinciam transire, debent autem novum habere titulum et iterum novo Ordinario iuramentum praestare pro tota Provincia.

CAPUT VI.

De Vita et Honestate Clericorum.

I. Monemus et in Domino obsecramus omnes Sacerdotes, ut etiam atque etiam ea perlegant attente secumque revolvant, quae Concilia Plenaria Baltimorensia II et III sapientissime de Vita et Honestate Clericorum statuerunt et decreverunt. Quae scripsit S. Paulus Apostolus ad discipulum suum Timotheum, ad omnes sacerdotes applicanda sunt, scilicet: "Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate....attende lectioni, exhortationi, et doctrinae....Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae; insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt" (I. Tim. 4, 12—16). Et alio loco omnes monet, ut "nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei." (2 Cor. 6, 3.)

II. Media autem ad perfectionem vitae sacerdotalis assequendam praecipua sunt quotidiana oratio mentalis, assidua oratio vocalis, lectiones piae, frequens confessio sacramentalis et quotidiana Missae celebratio cum praevia praeparatione et subsequente gratiarum actione, tenera devotio erga SS. Sacramentum, Sacratissimum Cor Iesu, Beatam Mariam Virginem, aliosque Sanctos, sed potissimum spiritualia exercitia sepositis exterioribus curis per aliquot dies habenda. Quapropter urgemus vehementer, quae Patres Concilii Plenarii III de his statuerunt, scilicet ut Episcopi Clerum suum quotannis vel saltem singulis bienniis in sacrum huiusmodi secessum congregent, sed, si fieri potest, divisum in duas partes, ne Dioecesis tota omnino vacet per totam hebdomadem omni ministerio sacerdotum in casibus urgentibus.

III. Sacerdotibus nostris in mentem revocamus gravissimam illam obligationem divini officii quotidie recitandi. Cui obligationi, ut digne, attente ac devote satisfaciant, vehementer eos in Domino hortamur, ut nunquam sine justa causa

recitationem officii ad tempus serotinum vel ad ipsas horas nocturnas differant, sed singulas partes officii tempore ab Ecclesia assignato persolvant, memores moniti Sti Benedicti: "Operi Dei nihil praeponatur."

IV. Necessitas vel gravis causa, ut docent Patres Tridentini, non excusat ab obligatione residentiae, nisi sit ab Episcopo cognita et probata. Licentiam vero huiusmodi esse petendam declaramus, quoties ultra tres dies a congregatione vel missione sua sacerdos curam animarum in hac Provincia gerens abfuturus est. Dominicis vero vel festis de praecepto Sacerdotibus nunquam, nisi urgentissimis de causis Episcopo fideliter expositis et ab ipso in scripto approbatis, ab Ecclesiis suis abesse licet, etiamsi vicarios vel assistentes idoneos in locis suis reliquerint. Curent vero sacerdotes, pro singulis casibus absentiae, animadvertere fideles, quem ex vicinioribus sacerdotibus in casu necessitatis adire debeant.

V. Concilium Plenarium II omnino interdixit Clericis cauponarum aditum et usum, nisi in itinere necessitatis causa. Concilium Plen. III hoc interdictum renovavit. Hanc ergo prohibitionem vehementer urgentes declaramus, contra agentes sese obnoxios reddituros poenae suspensionis iudicio Episcopi. Item mandamus, ut sacerdotes a publicis equorum prorsus abstineant cursibus, a theatris et spectaculis, quum ea sine praejudicio honoris et decoris Ecclesiastici adire non possint. Insuper monemus, ut, quae de vestitu sacerdotali a laudatis Conciliis statuta sunt, ab omnibus stricte serventur; inprimis vero stricte praecipimus, ut omnes clerici, tam saeculares, quum regulares, quando, seposito habitu sui ordinis proprio, foras prodeunt, collare Romanum semper gerant, quum in his regionibus aliud distinctivum vestimentum clericale usu receptum non sit.

VI. Sacerdotibus infirmis et inhabilibus, si indigi, at digni sint, optima qua fieri potest ratione providendum est. Indignorum autem et eorum, qui, in quantum humano modo iudicari potest, incorrigibiles sint etiam cura habeatur, sed solummodo tam diu, quam in aliqua domo religiosa, vel asylo, vel cum alio sacerdote, qui illis invigilat, permanserint.

VII. Ut autem subsidia ad sustendandos huiusmodi sacerdotes obtineamus, decernimus, ab aequitatis et justitiae tramite alienum non esse, quod Episcopus omnibus et singulis Dioeceseos sacerdotes annuam taxam, quae ipsi de consilio Consultorum justa et aequa videbitur, imponat. Aerario sic

instituto tres vel quinque presbyteros ab ipso ex iis quorum nomina a sacerdotibus proposita fuerint eligendos praeponat, qui juxta normas clare definitas et ab Episcopo approbatas, hoc aerarium administrabunt et subsidia distribuent. Siquis vero Episcopus alio modo haec subsidia obtinere velit, id ipsi liberum erit.

CAPUT VII.

De Honesta Sustentatione Sacerdotum.

I. Omnibus Sacerdotibus in vinea Domini laborantibus honesta competit sustentatio; dignus est enim operarius mercede sua. Vix quidem fieri potest, quin aliqua inaequalitas inter sacerdotes, ceteroquin pares, in hac sustentatione intercedat; ea vero, quae non raro apparet, ab aequitate nimis prorsus aliena esse videtur. Quam ut eo reducamus, ut, attentis ecclesiarum circumstantiis invidiosa esse desinat, statuimus:

1) Omnes Rectores, sive amovibiles sive inamovibiles, ab Episcopo in duas classes dividentur, quarum prior honorarium annum percipere potest non excedens summam $1,000.00, posterior non excedens summam $800.00. Si vero alicubi accidat, ut hoc salarium totum percipi non possit, Rectores agant ad mentem decr. 273 Conc. Pl. Balt. III.

2) Rectores pro se ipsis percipere non possunt Collectas in Ecclesiis factas, sed inter reditus Ecclesiarum eas annumerare tenentur, eo tamen pacto, ut omnes expensae pro servitio divino incurrendae ab ipsis Ecclesiis, non a Rectoribus solvantur.

3) Quod speciatim Collectas in Nativitate D. N. J. C. et die Paschatis fieri solitas attinet, decernimus, eas applicandas esse ad objectum quoddam Dioecesanum aut ad causam piam ab Episcopo designandam.

4) Si Rectori Ecclesiae unus vel plures Vicarii addendi sint, ipsi inter se de honorario, ab Episcopo approbando, convenient.

II. Iam tempus venisse videtur, quo ad institutionem Vicariorum vel Assistentium, ut partem integralem regiminis Ecclesiastici in his regionibus, oculos attendamus. Multis enim in locis numerus fidelium, uni eidemque Ecclesiae ad-

scriptus, tantus est, ut unus Sacerdos spirituali curae eorum par esse omnino non possit. Volumus igitur, ut Rectores Ecclesiarum, ad quas circiter 400 familiae pertinent, adjutorium Vicarii nedum recusent, imo vero a Nobis sibi petant. Quo fiet, ut non solum varia munera sacerdotalia in templis, scholis, sodalitatibus etc. obeunda, efficacius pro majori fidelium salute adimpleantur, sed etiam clerici juniores, senioribus ducibus, sacris ministeriis rite exercendis facilius ac tutius assuescant.

CAPUT VIII.

De Seminariis Minoribus et Maioribus.

I. Imploramus divinum auxilium, ut omnia, quae Patres Concilii Plen. III de Seminariis constituerunt et S. Sedis approbavit, ubique religiose observentur; haec enim decreta, si fideli executioni mandentur, securam spem praebent, fore, ut in futurum, quatenus humana fragilitas permittit, nonnisi dignos et bene eruditos obtineamus Candidatos ad sacrum ministerium adspirantes. Quapropter Nos Praesules huius Provinciae, in hoc Concilio coadunati, decernimus et declaramus, Nos ex Nostra parte nihil esse omissuros, quod ad ea fideliter exequenda inservire possit, atque diligenter invigilaturos esse, ut ab aliis, ad quos pertinet, accuratae executioni mandentur. Inter alia ad hunc finem obtinendum hoc potissimum necessarium esse existimamus, ne quis, casu necessitatis excepto, qui curriculum studiorum a Concilio Plen. III praescriptum non absolverit, in hac Provincia ad presbyteratus ordinem in futurum promoveatur.

II. Praeterea Episcopi, qui curam habent de Seminariis, omnino conari debent, ut pios et idoneos sibi acquirant Moderatores et Professores. Insuper, quia munus docendi, ut bene geratur, est continui et ardui laboris, omnino curandum est, primo ut professores Seminarii Clericalis quoad victum et honorarium totamque temporalem sustentationem nihil habeant, cur invideant coaetaneis in pastorali munere laborantibus, et secundo, ut ipsi, qui revera laborant in verbo et doctrina, iuxta monitum S. Pauli (I. Tim. 5, 17.) duplici honore digni habeantur.

III. Sicuti Episcopis, sic etiam omnibus sacerdotibus, qui zelo domus Domini fervent, cordi esse debet, ut Semi-

naria nostra largiter sustententur, qua de causa, data occasione, gregibus suis diserte exponere et ostendere conentur, maxime omnium fidelium interesse, ut Seminaria bene ordinata habeamus, unde sperare liceat, sacerdotes plenos spiritu fervido pro gloria Dei et animarum salute prodituros esse. Inter omnia alia studiorum collegia et omnes beneficentiae cuiuscunque generis domos Seminarium Clericale semper primum locum tenet ac proinde optime sustentari debet.

IV. Illi autem ex sacerdotibus, qui in Seminariis ab Episcopis gratis sustinebantur, memores beneficii accepti, gratos sese praebere debent, refundendo intra tempus ab Episcopo definiendum, dimidiam saltem partem expensarum pro ipsis factarum.

CAPUT IX.

De Scholis Parochialibus.

I. Praeclare sunt et saluberrima, quae Patres Concilii Plenarii III de Scholis Catholicis, praesertim de Parochialibus decreverunt, quae igitur summo cum studio ab omnibus, ad quos pertinet, observanda et executioni fideli mandanda esse declaramus.

II. Nemo jam dubitare potest, quin et rectorum missionum et parentum catholicorum gravis sit obligatio Scholas Parochiales in omnibus locis, in quibus fieri potest, erigendi et liberaliter sustentandi. Huius obligationis duae sunt praecipuae rationes: prima quod sine Schola Parochiali plurimi pueri puellaeque doctrina Catholicae religionis vix ullo alio modo satis institui et practico eius exercitio imbui possunt; altera, quod solummodo eiusmodi scholis detrimenta illa et pericula a iuventute Catholica averti queunt, quae plerumque ex ipsa scholarum publicarum natura necessario pullulant, quaeque eo maiora, quo occultiora sunt.

III. Sapientissime ergo laudatum Concilium statuit et decrevit:

1) Prope unamquamque Ecclesiam, ubi nondum existit, Scholam Parochialem intra duos annos a promulgatione huius Concilii erigendam et in perpetuum sustentandem asse, nisi Episcopus ob graviores difficultates dilationem concedendam esse iudicet.

2) Sacerdotem, qui intra hoc tempus erectionem vel sustentationem Scholae gravi sua negligentia impediat vel post repetitas Episcopi admonitiones non curet, mereri remotionem ab illa ecclesia.

3) Missionem vel paroeciam, quae sacerdotem in erigenda vel sustentanda Schola adiuvare ita negligat, ut ob hanc supinam negligentiam Schola existere non possit, esse ab Episcopo reprehendendam et, quibus efficacioribus et prudentibus modis potest, inducendam ad necessaria subsidia conferenda.

4) Omnes parentes Catholicos prolem suam ad Scholas *parochiales* mittere teneri, nisi domi vel in aliis scholis Catholicis christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant, aut ob causam sufficientem ab Episcopo probatam et cum opportunis cautionibus remediisque eos ad alias scholas mittere ipsis liceat. Parentes huiusmodi, qui ob causam sufficientem et ab Episcopo approbatam liberos ad scholas publicas mittant, a Sacramentis quasi indignos sive intentis minis sive actu ipso repellere nemo audeat. Quaenam autem sit schola Catholica, Ordinarii iudicio definiendum relinquitur.

IV. Ut haec causa gravissima ubique feliciter promoveatur, Concilium Plen. III inter alia media et hoc ordinavit, ut in qualibet Dioecesi duplex genus Commissionum scholarum constituatur, unum ad examinandos magistros et magistras de omnimoda eorum habilitate pueros quam optime docendi; alterum, ut pro locorum et linguarum diversitate plures "Commissiones," ex uno vel pluribus sacerdotibus compositae, ad scholas in civitatibus et districtibus examinandas constituantur, quarum munus est, semel vel etiam bis in anno unamquamque scholam districtus sui visitare et accuratam relationem ad Episcopum vel ad Sacerdotem ab ipso deputatum transmittere.

V. Quoad examen a magistris subeundum serventur omnia juxta normam in Conc. Pl. Balt. III no. 203, p. 108 et 109, descriptam.

VI. Si vero ex una parte, ad majorem scholarum perfectionem et efficaciam promovendam, hoc onus examinis magistris imponimus, ex altera praetermittere non possumus, quin eisdem magistris gratias agamus quam maximas pro servitiis iam praestitis ac certo praestandis, earumque salutem, tam temporalem quam spiritualem, imprimis sacerdotibus nostris

enixe commendemus. Optime enim Virgines illae Deo et Ecclesiae dicatae de scholis nostris meruerunt, ac vere dignae sunt, quae in laboriosa sua vocatione praecipue a sacerdotibus Dei et ministris Ecclesiae verbo et opere adjuventur. Memores sint sacerdotes Nostri, Religiosas eo meliores et in officiis adimplendis fideliores esse, quo religiosius regulam suam, sive a Sancta Sede, sive ab Episcopo saltem approbatam, sequuntur. Itaque observantiam regulae ipsis facilem ac tutam reddant, praecipue quoad clausuram, ordinem diurnum, assistentiam ad servitia divina et sacramentorum susceptionem.

VII. Inter ea quae in scholis nostris docenda et discenda sunt primum omnino locum obtineat Catechismus. Qui tam clare, solide ac complete tradatur, ut omnes liberi Catholici sanam ac plenam Religionis cognitionem in scholis sibi acquirant, et quidem pro speciali harum regionum conditione. Haec vero requirit, ut liberi aliarum linguarum Catechismum non modo in lingua propria, sed etiam in lingua Anglica calleant. Permagnus est enim numerus eorum, qui domo paterna relicta, non nisi in lingua Anglica, verbum Dei audire, confessionem sacramentalem facere ceterisque religionis suae beneficiis frui possint. Itaque sacerdotes enixe in Domino hortamur, ut pueros provectioris aetatis Catechismum etiam in lingua Anglica edoceant.

VIII. Quia denique Concilium Plen. III monet, ut Episcopi, in quantum fieri potest, scholas quae dicuntur normales instituant in domibus opportunis, in quibus iuniores ab expertis et maxime idoneis magistris disciplinis et scientiis necessariis instruantur, non absonum erit attentioni omnium sacerdotum et laicorum commendare Seminarium sub tutela Sacrae Familiae prope Milwaukiam ante plures annos ad hunc finem fundatum, quod hucusque bono successu gaudet.

CAPUT X.

De Munere Praedicandi et Missionibus.

I. De hoc munere Concilium Plen. III inter alia statuit et mandavit, ut diebus dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes qui curam habent animarum, per se aut, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos inter celebrationem omnium omnino Missarum horis pro fidelium as-

sistentia statutis celebrandarum, sive illae missae sint cantatae sive privatae, vel etiam valde mane celebrentur, Evangelium diei occurrentis lingua vernacula distincte legant atque, si tempus patiatur, per duodecimam horae partem populum in lege Domini erudiant, omni consuetudine aut praetextu in contrarium non obstante. Quod si quis obstinate neglexerit, ab Ordinario severe puniatur. Sermo autem proprie dictus habeatur in ultima Missa. (Decr. 216.)

II. Praeter ordinarium hoc praedicandi munus magnopere commendamus Missiones pro populo. Volumus autem, ut salutaria illa monita Patrum Conc. Pl. Balt. II super hac re ab omnibus religiosissime observentur. Inprimis igitur tam Missionarios quam Rectores hortamur et jubemus omnia vitare, quae turpis lucri speciem prae se ferant. Itaque pecuniae in usum missionis colligendae sine strepitu et clamore, sed modo quieto et decoro colligantur. Devotionalia quae hodierno tempore facile ubique haberi possunt, vel neutiquam, vel cum magna cautela antequam benedicantur hac occasione vendantur, nec pretio aequo majori. Insuper caveant Missionarii et Rectores, ne occasione Missionum novas devotiones, sodalitates, etc., sine expresso consensu Nostro introducant.

CAPUT XI.

De Sacramentis.

1. DE BAPTISMO.

I. In casu necessitatis quicumque, etiam laicus, vir seu femina, adhibita debita materia et debita forma cum intentione faciendi quod facit Ecclesia baptismum ministraverit, perfectus baptismus existimandus erit; quapropter summopere Rectores adlaborabunt, ut unusquisque suorum fidelium modum baptizandi et substantialia ad ablutionem hanc sacramentalem requisita prompte calleat.

II. Baptisterium binis per annum vicibus diligenter mundetur et fons antiquus ab ipso Rectore vel alio sacerdote evacuetur, ac novus in Sabbato Paschae et Pentecostes, quidquid contraria habet illegitima consuetudo, in singulis eccle-

siis parochialibus in sufficienti quantitate atque adhibita omni pro facultate loci possibili solemnitate benedicatur.

2. DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

III. Omnibus Sacerdotibus in cura animarum constitutis in memoriam revocare volumus, ipsos in administrando hoc Sacramento quadruplex officium, sc. patris, doctoris, medici et iudicis, debere obire. Caveant igitur Confessarii, ne in hoc sacro munere perfunctorie et negligenter agant. "Audita confessione," ait Rituale Romanum, "Confessarius, perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem et multitudinem, pro eorum gravitate ac poenitentis conditione opportunas correptiones ac monitiones, prout opus viderit, paterna charitate adhibebit et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet remediaque peccatorum tradet." Insuper saepe Confessarius ob ruditatem poenitentis curare debet, ut confessio plena et integra fiat. "Maxime itaque condemnanda est praxis illorum non tam confessariorum quam mercenariorum, qui vix peccatis obiter auditis, tamquam nihil nisi latine loqui didicissent, omni manu absque ulla admonitione Poenitentes absolvere festinant; imo, et eos docere tenemur, qui licet venialia tantum habeant, vivere tamen debent de verbo quod procedit de ore Dei, et de omni quidem verbo, sive procedit publice de cathedra sive privatim in sacro tribunali." (Inst. Past. Eyst. p. 188.) Sacerdotum est, aditum ad sacrum tribunal fidelibus omnino facilem reddere. Itaque hortamur imprimis eos, quibus magna fidelium multitudo commissa est, ut quotidie per congruum tempus ante Missam Parochialem in confessionali fidelibus praesto sint.

IV. Quum a teneris pueri ad praxim Christianae vitae educari debeant, mandamus Rectoribus, iuxta praeceptum Concilii Baltim. II, ut saltem quater in anno, circa Quatuor Tempora, confessiones excipiant iuniorum puerorum; frequenter vero audiant illos, qui iam ad primam Communionem proxime sunt accessuri, vel hanc iam receperunt; imo, omnino suadendum est, ut his posterioribus singulis mensibus dies fixa pro recipiendis SS. Sacramentis assignetur. Sciant vero Rectores, ipsorum esse instruere pueros ad Confessionem aequiter ac ad Communionem, nec sub ullo praetextu hoc munus gravissimum relinquant magistris.

3. DE S. COMMUNIONE INFIRMIS ADMINISTRANDA.

V. Inhaerentes vestigiis Patrum Concilii Provinc. IV Cincinnatensis statuimus de Communione infirmis administranda ut sequitur: 1) Sacerdotes in ecclesia e tabernaculo Sanctissimum extrahentes semper sint superpelliceo et stola induti curentque, ut duo cerei sint accensi. 2) Infirmis Ss. Eucharistiam ministraturi, nisi omnino sit impossibile, superpelliceum et stolam albi coloris et vestem talarem (vel saltem longiorem) in domos infirmorum aut secum deferant aut deferenda curent, quibus induti Ss. Sacramentum infirmis administrent.

4. DE MATRIMONIO.

VI. Quia, ut ait Concilium Tridentinum, sancta res est matrimonium et sancte tractandum, innovamus et urgemus praecipue sequentes leges, iam dudum conditas, scil:

1) Ne praeceptae bannorum publicationes unquam omittantur absque Episcopi dispensatione.

2) Ut nupturientes rite praeparentur et disponantur ad Sacramentum matrimonii digne et devote suscipiendum, examinando etiam eos, in quantum id fieri potest, an rudimenta doctrinae christianae calleant.

3) Ut matrimonia mane ante Missam celebrentur et infra Missam benedicantur. Non licet, nisi ob graves causas, matrimonium celebrare sub vesperas.

4) Ut Rectores in casu dispensationis rogandae caute et circumspecte causas canonicas (v. p. 249–253 in Append. Conc. Plen. III) ob quas dispensatio petitur, exquirere et investigare conentur, ac deinde tum impedimentum obstans, tum causas dispensationis distincte et accurate in bene scripto petitionis libello Episcopo exponant.

5) Ut stricte cuncta observentur, quae a Concilio Plen. III de matrimoniis mixtis statuta et a S. Sede approbata sunt. In petitionibus pro gratia dispensationis ad ineundas huiusmodi nuptias semper distincte notetur, utrum pars acatholica sit baptizata necne.

6) Quoniam causae matrimoniales, praesertim eae quae ipsius vinculi matrimonialis existentiam seu valorem attingunt, ad iudicium seu forum Ecclesiae pertinent, ideo, quandocunque in foro externo dubium aliquod orietur de validitate matrimonii iam contracti, Rector ecclesiae non audeat causam

dirimere et sententiam ferre de hoc dubio, sed hanc rem deferat ad Ordinarium, qui sive per se ipsum sive per iudicem ab ipso ad hoc deputatum sententiam feret iuxta Constitutionem Benedicti XIV. "Dei miseratione." Ad rite procedendum in huiusmodi litibus necessarium est, ut in singulis Dioecesibus debito modo designetur Defensor matrimonii.

5. DE IURIBUS STOLAE VEL CASUALIBUS.

VII. Ut ab Ecclesiae Ordine iuxta verba Benedicti XIV omnis vel minima avaritiae absit suspicio aut simoniacae labis species, in iis praesertim, quae ad Sacramentorum administrationem spectant, cavendum est sacerdotibus, ne pro ministerio Sacro mercedem exigere aut de ea aliquo modo pacisci videantur. Id quod fideles, sacramentis Baptismi et Matrimonii receptis, sponte et voluntarie offerunt, acceptari utique potest; imo, post Sacramenti administrationem rogantibus indicare licet quantitatem consuetae voluntariae oblationis seu taxam lege Dioecesana constitutam et a S. Sede approbatam (Concil. Plen. III 294); sed nunquam, quod severissime ab Episcopo puniendum esset, potest Sacerdos ministerium suum negare iis, quos praevidet nihil aut parum esse daturos, nec eos, qui sic egerunt, irrisorie aut contumeliose tractare. In Sacramento Poenitentiae Confessarius non solum nihil voluntarie oblatum accipiat, sed etiam, si ipse iudicaverit pro poenitentia Missas iniungendas esse, quod tamen raro fiat, sibi ipsi dicendas eas nullatenus addicat. (S. Carol. Borr. ad Confessarium).

6. DE RUBRICIS SERVANDIS.

VIII. Strictissime praecipimus, ut in administratione Sacramentorum, in functionibus liturgicis et benedictionibus rubricae Ritualis Romani et Caeremonialis Baltimorensis ad amussim serventur, sepositis omnibus particularibus cujuscunque nationis vel regionis consuetudinibus.

CAPUT XII.

De Festis Celebrandis et Dominica Sanctificanda.

I. Ex Decr. S. C. die 25. Nov. 1885, per omnes dioecesis de praecepto audiendi Missam et abstinendi a servilibus

servandi sunt in posterum praeter Dominicas dies festi omnes et soli qui sequuntur:

1. Immaculata Conceptio B. M. V.
2. Nativitas D. N. I. Ch.
3. Circumcisio D. N. I. Ch.
4. Ascensio D. N. I. Ch.
5. Assumptio B. M. V.
6. Festum Omnium Sanctorum.

II. Quoad ceteros dies festos, qui praeter sex supradictos in Dioecesibus Milwaukiensi, Crossensi et Marquettensi huius Provinciae hucusque de praecepto fuerunt, scil: Epiphania Domini et Annunciato B. M. V. et fest. "Corpus Christi," fideles solvuntur quidem ab obligatione Missam audiendi et ab operibus abstinendi, quin tamen iidem dies festi quoad devotionem et solemnitatem externam supprimantur.

III. Ad festum "Corpus Christi" quod spectat, huius festi solemnitas in diem Dominicam sequentem transferatur, ad normam indulti concessi quoad festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, die 19. Decemb. 1840, scil: ut in Dominica Missa *solemnis* sit ut in die festi, cum commem. Dominicae, et Evan. solito S. Ioannis in fine, post Missam autem fiat processio solemnis cum Ss. Sacramento.

IV. Quoniam vere nec hoc festum quoad devotionem et solemnitatem externam supprimitur, omnibus Rectoribus liberum erit, Processionem solemnem cum SS. Sacramento in ipso die Festi instituere. Praecipimus autem, ut in Processione, sive in ipso die festi sive Dominiea sequenti fiat, rubricae Processionalis Romani et Caeremonialis stricte serventur, ceteris omnibus exclusis. Extra Ecclesiam processio fieri non debet sine speciali permissione Ordinarii.

V. Insuper, ad fovemdam fidelium pietatem monemus et volumus, ut festum Patronale vel Titulare Ecclesiae uniscuiusque sive consecratae, sive tantum benedictae, tum quoad Missam, tum quoad officium pro Clericis Ecclesiae adscriptis ritu festi duplicis primae classis cum octava celebretur, uti praecepit S. Rituum Congreg. (*Alton.* Decret. 21. Decemb. 1878). Ubi difficile est per hebdomadam congregare plebem fidelium, potest festum, quad externam solemnitatem, in Dominicam proxime sequentem transferri (Concil. Plen. decr. II 384).

VI. Quae Patres Conc. Plen. Balt. II decr. 113 et decr. 263 sapientissime statuerunt nostra facientes, conscientias

sacerdotum Nostrorum oneramus, ut a moribus fidelium aut arceant aut eliminent omnia quae sanctificationi diei Dominicae adversantur. Inprimis igitur a popinarum vel cauponarum commercio eos deterreant necnon ab excursionibus, quibus tota vel fere tota dies Domini insumitur. Stricte vero prohibemus, ne unquam excursiones die Dominica vel festo de praecepto fiant ad pecuniam in usum Ecclesiae, Scholae vel alius cujuscunque objecti religiosi faciendam (v. Conc. Plen. Balt. III d. 290). Denique, ne occasione quidem solemnitatis religiosae, e. g. Benedictionis Lapidis Primarii vel Benedictionis Ecclesiae, hae excursiones, si horis antemeridianis incipiendae sint, instituantur, nisi cum speciali permissione Nostra.

CAPUT XIII.

De Cantu Sacro.

Patres Concilii Plen. III, monita Patrum et Summorum Pontificum et Decretum Concilii Plen. II de cantu ecclesiastico renovantes, districte mandant, ut nunquam toleretur templum Dei profanis melodiis resonare, et nonnisi eiusmodi cantus in illo admittatur, qui sit gravis, pius et vere ecclesiasticus.

Hoc decretum urgentes et Patrum Concilii Prov. Cincinnat. IV vestigiis inhaerentes, in votis habemus:

1) Ut Introitus, Graduale, Offertorium, Communio, nec non Sequentia, quando occurrit, in Missis cantatis, et de fortiori in Missis solemnibus cantentur. Patres Conc. Plen. II iam monuerunt, ut rudimenta cantus Gregoriani in scholis parochialibus exponantur et exerceantur.

2) Ut in Vesperis, diebus Dominicis, antiphonae, quinque psalmi integri et hymni festi, quod occurrit, proprii nunquam praetermittantur, nisi ob circumstantias loci id servari non posse Episcopus judicaverit.

3) Ut, licet non omnino excludamus omnes musicales aut figuratos Missarum cantus, huiusmodi tamen compositiones eligantur, quae, ut ait Concilium Coloniense, non omnino recedant a natura et charactere cantus vere ecclesiastici. Qua de causa volumus, ut "Commissio" instituatur pro Catalogo Musicae Sacrae conficiendo. Hujus Commissionis Praeses erit unus es Episcopis Provinciae, cum facultate eos viros sibi adsciscendi, quos ad finem Commissionis assequendum idon-

eos judicaverit; Catalogus autem ab hac Commissione conscriptus ab omnibus Episcopis Provinciae approbandus est. Optamus et hortamur ut Rectores, Magistri, Organistae et Chororum directores ex Catalogo sic approbato Musicam Sacram pro Ecelesiarum et Scholarum usu seligant.

4) Ut Societas Caeciliana, iam ante plures annos in hisce Provinciis erecta et a S. Sede approbata ad restaurandum cantum vere ecclesiasticum magis magisque sub tutela Episcoporum propagetur et enixe colatur.

CAPUT XIV.

De Coemeteriis et Funeribus.

I. Coemeteria benedicta ab omnibus sancte tractentur. Itaque imprimis Ecclesiarum Rectores invigilent sedulo, ut coemeteria bene circumsepta, secure clausa, ab omni immunditia purgata, decenti ornatu decorata serventur. Tumuli vero et loci (lots) proprio ordine disponantur; symbolis fidei et spei Christianae in iis erectis corda fidelium ad preces pro defunctis fundendas moveantur. Pecuniae ex venditione tumulorum vel locorum comparatae ad coemeteria restauranda et ornanda adhibeantur. Si quid supersit, non ad reditus Ecclesiae vel Rectoris adnumerandum, sed ad charitatis vel religionis opera promovenda Ordinarii judicio adhibendum erit. (v. Conc. Pl. Balt. II dec. 393.)

II. Funera fidelium sint pia et simplicia. Absint pompa et ostentationes sumptuosae, quae animabus defunctorum nihil omnino prosint. Inter cetera hujusmodi improbamus morem decorandi funera adultorum, in ipsis Ecclesiis, coronis et figuris symbolicis ex floribus sertis et confectis. Ponatur autem in lectulo vel feretro pannus niger, crucis signo in medio ornatus. Sincerae doloris lacrymae, ferventes preces, Communiones, Missae Sacrificia, charitatis opera: haec sunt vera funeris Catholici ornamenta.

CAPUT XV.

De Bonis Ecclesiasticis.

I. Bona ecclesiastica omnes istae res sunt sive mobiles sive immovibiles, sive sors pecuniaria, sive reditus, quae a

fidelibus datae sunt vel dantur, vel ex iam habitis bonis accrescunt, tum pro divino Cultu, tum pro scholis, hospitiis, orphanotrophiis, aliisve causis piis. "Quoniam autem," ut ait Conc. Prov. Ultraiectense, "bona, quae ad divinum Cultum aliasque pias causas offeruntur, Domino consecrantur et in Ecclesiae potestatem transeunt, Episcopi, qui Ecclesiae divina ordinatione praesunt, positi sunt in unaquaque Dioecesi, sub suprema Rom. Pontificis auctoritate, primi eorundem bonorum administratores, quibus caeteri administratores subsunt et subesse debent. Itaque Rectores Ecclesiarum singulis annis tempore a Conc. Plen. Balt. III decreto 272 statuto, nisi Episcopus aliud statuerit, plenam et distinctam Episcopo exhibebunt rationem de omnibus missionis suae proprietatibus, reditibus, debitis, expensis, sicut fusius describitur in eodem decreto.

II. Ut tamen bona ecclesiastica salva et tuta semper penes Ecclesiam serventur, curabunt Episcopi, ut in singulis missionibus, salvo eorum libero de re iudicio, erigatur "corporatio" iuxta leges in hunc finem in Statibus Wisconsin, Minnesota, Dakota conditas, cuius corporationis nomine possidebuntur quaecumque pertinent ad singulas missiones. Haec bona iuxta tenorcm "corporationis" articulorum et specialium statutorum stricte administrari debent.

III. Ubi autem ex quacunque causa huismodi "corporatio" non potest erigi, fundus ad ecclesiasticum et pium usum Episcopo instrumentis authenticis tradi debet, idque ita, ut Episcopus pleno iuris titulo et proprio nomine (by deed in fee simple in the Bishop's own name) sine ullis conditionibus fundum teneat. Nullus omnino sacerdos in re pecuniaria et praesertim in aere alieno quocunqpe contrahendo nomine Episcopi vel tamquam ipsius, ut dicunt Agens (Agent) agere censeri potest, nisi speciali mandato, scripto dato, ab Episcopo ad agendum deputatus sit.

Nullus sacerdos sine speciali Episcopi permissione, scripto data, pecuniam suam in Ecclesiae vel Missionis usum mutuo dare potest; si quis vero sine tali permissione mutuo dederit, donasse censetur.



CAPUT XVI.

De Societatibus Secretis.

De hisce Societatibus ea quae sequuntur delaramus et statuimus:

1. Certo constat nomen dantes Sectis Massonicae et Carbonariae excommunicationem latae sententiae ipso facto incurrere.

2. Similiter omnes aliae sectae, quas sub quocunque nomine sive adversus Ecclesiam et religionem Catholicam, sive solumnodo adversus legitima gubernia machinari certo constat, sive exigant a suis asseclis sive non exigant iuramentum de secreto servando, subiacent excommunicationi. Hinc dubium non est quin Communistae, Socialistae, Anarchistae et illi Tornatores (Turners), qui associati sunt foederi vulgo "Turnerbund" vocato, excommunicationis censura ligentur.

3. Si qua societas "presbyterum" (capellanum) proprio marte sibi vindicet aliumve ministrum cultus, qui rituali ac caeremoniis propriis pro suo libitu utatur, hoc in casu adscripti etiam censuras contra schismaticos vel haereticos latas incurrunt (Conc. Plen. III p. 140).

4. Aliae autem societates profanae, quae quidem neque contra Ecclesiam neque adversus potestates legitimas machinantur, sed nihilominus asseclas suos, sive iuramento sive mera fide data, ad secretum tam stricte servandum astringunt, ut illud ne auctoritati quidem ecclesiasticae legitime roganti impune revelari possit, necnon eae, quae obligant socios ad illimitatam obedientiam et ad caece exequenda omnia, quae forte ab officialibus praecipiantur, quamvis sectis excommunicatis annumerandae non videantur, certo tamen ex lege naturali graviter illicitae sunt ideoque sub gravi peccato vitandae.

5. Quodsi econtra iuramentum vel promissio de secreto servando in aliqua societate eo sensu emittitur et intelligitur, ut illud auctoritati ecclesiasticae, quoties requiritur, manifesttari possit, neque aliquid illicitum in signis, fine et mediis eius invenitur, socii huiusmodi societatis inquietari non debent.

6. Similiter sodalitates operariorum, qui nihil aliud sibi proponunt quam sodalium in propria arte exercenda, in sua conditione mediis licitis in iuribus suis defendendis mutuo sese tueri et adiuvare, in se licitae sunt, sed plerumque periculosae sociis Catholicis, quia timendum, ne iustitiae limites excedant, vel propius ad sectas damnatas accedant, vel propter nimis arctam cum hominibus erroneae vel nullius religionis familiaritatem indifferentismo et aliis falsis doctrinis sensim imbuantur. Propterea Catholici ab huiusmodi societatibus, in quantum fieri potest, dissuadendo retinendi sunt.

7. Ad praecavendum praeterea, ne confusio disciplinae habeatur, nolumus ullam societatem uti cadentem sub unam ex classibus indicatis nominatim damnari, antequam Ordinarius rem retulerit ad Commissionem, quae pro huiusmodi causis iudicandis a Conc. Plen. III constituta est et quae constat ex omnibus Archiepiscopis harum Provinciarum. Quodsi societas omnibus visa non fuerit damnanda, recurrendum erit ad S. Sedem. (Conc. Pl. III Decr. 255.)

CAPUT XVII.

De Curiis Episcopalibus Constituendis.

I. Concilium Plen. III statuit, ut in singulis Dioecesibus Curiae Episcopales erigantur, vel saltem ne ultra triennium post eiusdem Concilii promulgationen haec curiarum constitutio differatur sine S. Congr. de P. F. dispensatione obtenta.

II. Ad constituendam autem Curiam requiruntur sequentes Officiales, scil: 1) in causis disciplinaribus Clericorum Procurotor Fiscalis, Defensor, Cancellarius, quibus Episcopus pro rerum necessitate addere potest Auditorem et Notarium seu Actuarium. Iudex in huiusmodi causis semper est Episcopus ; 2) in causis matrimonialibus Episcopus vel Auditor, seu Moderator processus ab ipso delegatus, Defensor Matrimonii, Notarius ; 3) pro administratione Dioeceseos Vicarius Generalis, et Cancellarius seu Secretarius. Omnia autem pertractentur ad normam instructionis S. C. de Prop. Fide ad calcem Conc., Balt. III relatae.

Omnibus his Officialibus debetur certum honorarium seu salarium, quod sumendum est ex proventibus Dioeceseos, si sunt, vel ex Cathedratico Episcopi.

Usum fere communem sequentes statuimus, ut pro expensis Cancellariae Oratores dispensationum, nisi vere pauperes sint, $2.00 (duos nummos scutatos) pro singulis dispensationibus solvant.

Expensae ex processu ortae Curiis Episcopalibus haud ita facile imponi possunt ; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, iudex appellationis abstineat a talibus damnationibus (scil. ad expensas resarciendas), quum ea indicia sufficiant, ut in iudice qui antea processit, vera et propria calumnia excludatur, quae ad eiusmodi damnationem requiritur. (Conc. Pl. in app. p. 292.)

Omnia et singula decreta, quae in Concilio Provinciali Milwaukiensi Primo statuta et in hac ultima sessione, die 30ma Maji A. D. 1886, in Ecclesia Metropolitana solemniter lecta sunt.

Ego, MICHAEL HEISS,
Archiepiscopus Milwaukiensis, Concilii Praeses, definiens subscripsi.

Ego, RUPERTUS SEIDENBUSCH,
Episcopus Halyensis, Vicarius Apostolicus Minnesotae Septentrionalis, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES IRELAND,
Episcopus Sancti Pauli, definiens subscripsi.

Ego, JOANNES VERTIN,
Episcopus Marianopolitanus et Marquettensis, definiens subscripsi.

Ego, FR. MARTINUS O. S. B.,
Episcopus Tiberiadis, Viearius Apostolicus Dakotae, definiens subscripsi.

Ego, KILIANUS C. FLASCH,
Episcopus Crossensis, definiens subscripsi.


Ego, FRIDERICUS KATZER,
Administrator Sinus Viridis, sede vacante, definiens subscripsi.

Ego, ALEXIUS EDELBROCK O. S. B.,
Abbas Sancti Joannis, definiens subscripsi.

AUGUSTINUS ZEININGER,
Notarius.

PETRUS M. ABBELEN,
JOSEPH RAINER,
SIMON LEBL S. T. D.,
Secretarii.

Index Decretorum.


CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX8351886.A21888 C001
ACTA ET DECRETA CONCILII PROVINCIALIS MI
3 0311 00056 3333




3 0311 00056 3333